

De vicissitudinibus. Recentis philosophiae meditatio

Walter Redmond

*Les systèmes sont vrais
dans ce qu'ils affirment
et faux dans ce qu'ils nient*

LEIBNIZ

Postremo nemo aegrotus quicquam somniat
tam infandum, quod non aliquis dicat philosophus

MARCUS TERENTIUS VARRO¹

I. Eversiones, mortes, cardines

Vita brevis, pro dolor. “Realitas”, inter tot et tam dispares philosophorum doctrinas, ubi reperienda est? Ut naves enim, cunctae scholae, anchora levata, portam veritatis petentes, naufragaverunt in scopulis scepticismi vel relativismi.² Quinque saltem navigationes sic perierunt: Praesocratici in cavillatione Sophistarum, Plato atque Aristoteles in scep-

¹ LEIBNIZ: philosophica “systemata in eis quae affirmant sunt vera, falsa autem in eis quae negant”, Epistola ad Nicholaum Remond, mense Januario anno 1714 (*Philosophische Schriften*, curante Gehrhard), vol. 3, 604); J. S. MILL (“In omnibus disceptionibus uterque adverarius in eis quae affirmat saepius sentit recte, false autem in eis quae negat”, *In all intellectual debates, both sides tend to be correct in what they affirm and wrong in what they deny*); idem dixerunt Goethe, H. Bergson, H. R. Niebuhr. Varro (1971). *Saturarum Menippearum Reliquiae*, fragmentum 122, ed. A. RIESE, 127.

² Cf. “The Seventh Voyage of Philosophy”, acroasim a Josephi SEIFERT (Internationale Akademie für Philosophie) coram Internationali Philosophiae Congressu, 1998 celebrato; citata “secunda navigatione” Socratis quaerentis causam: “ὁ δεύτερος πλοῦς ἐπὶ τῆς αἰτίας ζήτησιν” (*Phaedo*, 99d).

ticismo Academicorum, philosophi Medii Aevi in dubitatione Montani atque anti-Scholasticorum, Cartesius et Locke in negationibus Humii, Kant demum in misologia Post-Moderna.

Nec mirum est quosdam philosophos, praecipue inter Modernos, *eversiones* fecisse; scilicet, prioribus doctrinis desperatis, nova paradigmata praeconati sunt. Omnes nimirum philosophi sibi conscii sunt se nova conferre suis traditionibus, eversores autem *rupturas* voluerunt facere, philosophiam de integro instaurare.

Cartesius rixarum Scholasticarum defessus, suscepit mundum ex ovo cogitare. Kant, dubiis Humii scandalizatus, eversionem Copernicanam edixit: namque quemadmodum Copernicus systema mundi evertit solem in punctu medio locans, ita Kant, conscientiam in mediam philosophiam inserens, realismum subvertit. Marx philosophis novum officium dedit: mundum non jam interpretari sed mutare.

Nusquam tamen ac nunquam apparuerunt tot tantaeque *novae res* in philosophia quam in saeculo XX, praesertim in phaenomenologia in Continente Europaea culta, ubi vicissitudines cito atque efuse se succedebant. Nonnulli quidem philosophi toti videntur in quodam “post-ismo” versari, ubi prius historiae aevum repudiant suumque proprium extollent (aevum: post-industriale, post-Christianum, post-saeculare, post-modernum...), “mortem” praedicantes praeviae historiae (mors: metaphysicae, Dei, philosophiae, hominis, ideologiarum; necnon finis historiae, crepusculum officiorum...) vel “cardines” erga novas doctrinas melioresque (cardo: hermeneuticus, semanticus, pragmaticus, culturalis, linguisticus, speculativus, theologicus...).

Martinus *Heidegger* (ut exemplum afferam) universos philosophos Occidentales vituperavit quod, neglecta sua “ontologica differentia” (inter “esse” et entia) obliti essent ipsius “esse”. Immanuel *Levinas* suam propriam “eversionem Copernicanam” propalavit, qua totam Occidentis philosophiam repudiavit (haud excepta ontologica differentia). Johannes-Lucas *Marion*, initiatus cum Levina cardinem theologicum, cunctos theologos, vel Sanctum Thomam Aquinatem, ex eo de “idolatria” accusavit quod dixerant Deum “esse”. *Post-Moderni* de ipsa ratione ut tali suspicantes, negationes repetiverunt Scepticorum Graecorum (cogitatum videlicet non repraesentat realia nec sermo res attinet, opiniones contrarias non repugnent, et ceteras). Nonnulli horum doctorum suos *proprios* cursus plusquam semel flexerunt.

Hasce igitur rupturas, novas res, eversiones atque inversiones, mortes et cardines-homo de plebe, immo philosophus non-phaenomenologicus, quomodo prudenter enodare potuerit? Recte, ut reor, eas interpretabimur dummodo memores simus praefati *monitus Leibnizii*: ea, inquam, affirmando quae eversores affirmaverunt, infitiantes vero ea quae negaverunt. Cardines, hac “methodo Leibniziana” adhibita, perspicientur magis ad *vetera* inducere quam nova. Primo autem certa horum discriminum perstringemus quae in Continente Europaea saeculo XX apparuerunt, dein brevem deliberationem de sublationismo offeremus.

II. Nova res

II. 1. Intentio inversa

Speculatio phaenomenologorum plerumque³ manebat intra conscientiam subjecti, seu του ego. Husserl philosophari volebat, non aliter ac Cartesius, *nihil praesumpto*. Nudam rei essentiam “videre” seu scrutari quae-sivit, ejus existentia “inter uncinos exclusa”:

Ego → essentiam rei
vidit

Husserl, doctrina Scholastica a F. Brentano accepta, descripsit “actus του ego” (sensu generaliore sumptos: videre, noscere, cogitare, amare...) ut *intendentes*. “Motio” igitur intentionalis est ab ego (subjecto) erga rem; ego aspectat objectum:

actus του ego → objectum
intendit

Tum Sartre tum Levinas talem intentionalitatem *inversuri* erant.

Sartre quidem duplicem humanismum evolvit. In primo “existentialistico”, in opere “Esse et nihilum” 1950 editi (*L'Être et le néant*), hominem descripsit ut sibi conscius liberumque (ens “pro-se”), diversum a rebus

³ Nonnulli vero, ut J. Reinach, M. Scheler, R. Ingarden, D. von Hildebrand, E. Stein, essent realistae (de “idealismo” ipsius Husserlii etiamnunc disputatur).

inisciis atque inertibus (entibus “in-se”). At Sartre, in ludo *In camera* 1944 dato (*Huis clos*), declaravit *alterum hominem* esse “infernum”, quippe qui ut obex meae libertatis, “spectando”, objectificet me quasi rem in-se. Habitudo nunc invertitur: ab altero homine erga meipsum:

ego	←	alter
<i>quasi in-se</i>	<i>spectat</i>	

Secundum vero humanismum Sartre evoluit in libro “Critica rationis dialecticae” 1960 edito (*Critique de la raison dialectique*), ubi, fretus materialismo historico Marxii qui in illo tempore magna fruebatur auctoritate in Continente, theoriam sociale instituit. Sartre interea in utraque phase libertatem hominis instanter defendit, primo contra determinismum Freudianum, deinde, munus individui in historia agnoscens, contra ipsum Marxium.

II. 2. “Esse” ortum

Heidegger interdum, in suo opere “Esse tempusque” 1927 edito (*Sein und Zeit*), aliusmodi humanismum existentialisticum protulerat ubi homo est “ad-esse” (*Dasein*), characteres possidens velut quotidianitatem ac genuinitatem, “in-mundo-esse” atque “esse-erga-mortem”. At Heidegger tandem omnigenum humanismum renuntiavit in sua “Epistula de humanismo” 1946 edita (*Brief über den Humanismus*). Quod apprime investigare interest (eo tempore docebat Heidegger) non jam est homo sed “esse” (*Sein*). Homo potius *impedit* quin philosophi mysteria “essendi” sentiant, quorum fere nemo (ut putabat) perspexerat “differentiam ontologicam”. “Esse” profecto dixit in suo commentario 1941 edito “Recognitio in metaphysica” (*Die Erinnerung in die Metaphysik*) prorsus nihil ad hominem pertinere. Uterque igitur, et Sartre et Heidegger —postea et Levinas—, in “reificatione” curiosi erant: Sartre censuerat alterum sumere meipsum ut rem in-se, Heidegger vero putavit alios philosophos intelligere “esse” ut rem.

Auctoritas Heideggerii in Gallia illius temporis crescebat dum deficiebat Marxismus, qui pluribus magis difficultas videbatur quam solutio. Juniores philosophi annis quinquagesimis, fascinati per “esse” Heideggerianum, neglexerunt tum Sartreanum liberatis humanismum tum socia-

lem Marxii rationalismum. Structuralistae quidem (C. Lévi-Strauss, R. Barthes...) et Post-Moderni (M. Foucault, J. Derrida, J. Lacan...) humanismum repudiaverunt; quinimmo Foucault et Derrida voluerunt, ethica ipsa rejecta una cum universa “rationalitate Occidentali”, hominem prorsus evellere e philosophia. Altera ex parte, Sartre impugnavit “esse-erga-mortem” Heideggerii, quae tamquam alienatio fatalis sibi videbatur.

II. 3. “Esse” occasum; ethice orta

Dogma autem Heideggerianum differentiae ontologicae mox improbabatur a multis, velut ab Jesuita Johanne Urs von Balthassar (qui Heideggerium vicissim accusavit quod *ipse* reificasset “esse”) et praecipue a Levina. Annis namque septuagesimis et octogesimis, *ethice socialis* in proscenium philosophiae iterum prodiit, ubi docti Galli plus studebant hominem *defendere* quam detrectare. Cogitatio igitur Heideggeriana, sic expers ethices, propemodum expulsa erat e Gallia. Eo ipso tempore supervenit *ignominia Heideggerii*: annis enim octogesimis notitia divulgabatur quod Heidegger fuerat Nazista studiosus- immo appetebat “ducem ducum” (rectorem rectorum) fieri universitatum Germanarum.⁴

Simul vero, opus Levinae “Totalitas atque infinitum” 1961 editum (*Totalité et infini*), philosophos continentales potissimum afficere coepit. Necopinatus tamen hujus operis fortuna debebatur minus cogitationi quam temporibus moribusque: videlicet dedecori Heideggerii, praecipue vero ejus *neglectioni ethices*. Labor quidem Levinae duo effecit: cogitationem Heideggerii dimisit et hiatum moralem implevit.

Levinas primum, relicto Husserlii cognitionis studio, ardentem investigavit ampliores Heideggerii curas (“ad-esse” humanum, deinde “esse” simpliciter). Mox autem deficiebat quoque ejus zelus Heideggerii, et in opusculo “Meditationes de Hitlerismi philosophia” 1934 composito (*Quelques réflexions sur la philosophie de l'hitlerisme*) Nazismum impugnavit ut neopaganismum nocivum culturae Judaeo-Christianae. Maxime autem, patefacto Holocausti horrore, non solum Heideggerium repudiavit sed *totam*

⁴ Vide Rudolf von RINGGUTH (1986). Führer der Führer. *Der Spiegel*, 34, 18 Augusti, et Victor FARIAS (1987). *Heidegger y el nazismo*. Controversia pergit: Julio QUESADA MARTÍN (2008). *Heidegger de camino al holocausto*, Matriti: Biblioteca Nueva; Emanuel FAYE (2009). *Heidegger: la introducción del nazismo en la filosofía*, Madrid: Akal.

philosophiam Occidentalem, eo quod non posset impedire atrox Iudaeorum genocidium. Sententiola Levinae tunc erat: “Hierosolyma super Athenas”; hoc est: ethice velut in mandatis Biblicis inventa plus valet quam “ratio theoria”, quae, cum “metaphysica” vel “ontologia” (sic enim hos terminos in pejus sumebat) privilegium dat “enti” magis quam *moribus, caritati*. “Prima” philosophia —inquit— non jam est metaphysica Aristotelis sed *ethice phaenomenologica*.

II. 4. “Alter” ortus

Levinas quoque epistemologiam Husserlii invertit, qui asseruerat *to ego* intendere objectum. Quod objectum, conversim, inquit, *intendit to ego*; scilicet *alter homo* potius *meipsum* intendit tamquam subjectum: *vultus alterius personae* ante me stantis quasi “nudae” atque inermis. Alii homines a nobis petunt ut *nos geramus* certo modo. Huiusmodi petitiones alterius Levinas vocavit “*vindicias*”, quas idcirco censuit plus valere quam rationem theoreticam, quia ratio, utpote “egocentrica”, alterum “totalizaret”. Ratio reducit alterum hominem ad “ipseitatem” (quod verbum, a Levina novatum, significat aestimare alterum ut semper “idem” sive idipsum). Sartre dixerat: “alter objectificat me spectando”; Levinas autem: “ego objectifico alterum ratiocinando”.

Habitus vero vindiciarum aliter se habet. Alter homo est “infiniteus” (ajebat Levinas) eo sensu quod nunquam potuero vindicias suas implere nec ad ejus petitiones satis respondere. Alter igitur, cum perpetuo “distet” a me, meam comprehensionem semper excedet.

Levinas suam inversam intentionalitatem nuncupavit secundam “*eversionem Copernicanam*”. Husserl essentias rerum voluerat “videre” rationaliter; Levinas autem huiusmodi “*visionem metaphysicam*” ex eo rejecit quod subjectum (ego) “*produceret*” objectum cognoscendo:

subjectum (ego)	→	objectum visum
	vidit, producit	

Is vero pro tali “*visione*” alterius hominis substituit “*auditionem alterius*”. Vocem alterius vindicias a me poscentis debeo audire, ei respondere. Ego igitur alterum non intendo; alter potius, me alloquendo, *meipsum* intendit:

Admitenda est (cum Sartre) certa dualitas anthropologica inter pro-se atque in-se necnon libertas hominis ut actoris historiae. Insuper et homo (ut Heidegger urgebat) tales characteres possidet ut ad-esse in mundo; ante omnia, est unicus quod sibi de suo proprio esse agitur. Item, esse (existentia) rei nec est “ens” nec idem ac ipsa “res” (vix tamen oportuit historiam expectare Heideggerium donec huiusmodi distinctiones innotescerent).

Officium sociale existimandum est (ut putavit Marx cum permultis ante et post eum viventium) sicut essentialis ethices pars. Verumtamen praxis cautissime commendanda est, ne innitatur nimis simplici (nedum utopica) historiae exegesi, neque libertatem civium injuriose imminuat.

Complures opus Levinae laudaverunt, et recte quidem, non solum ex eo quod phaenomenologiam ad transcendentiam aperuit, verum etiam quod ethicen traditionalem restituit qua involuti deditique pro justitia agere debemus. Ineptum tamen est repudiare totam Occidentis philosophiam (quidquid sit!) quia res atroces in historia humana non impeditur; nulla enim “cogitatio” ut talis (ne Levinae quidem!), cum de voluntate, non de ratione agatur, sceleribus obstare valet. Athenae demum, cum deliberatio “theoretica”, “metaphysica”, “ontologica” de ente ejusque esse digna sit, immo gravior quam unquam, minime sejungendae sunt de Hierosolymis.

Notio a Levina prolata quod cognitio “producat” hominem in luce saltem collocavit *radicem idealisticam* latentem in cujusdammodi epistemologia ubi “objectum cognoscere” significat id “objectum construere” vel “constituere”. Intellectus potius rem in-se (utrum humanum annon) *subit*, non facit, objectum, nec, si recte operatur, objectum alterat nedum “totalizat”.

Ceterum, Levinas, cum sentiret alterum prout “infinite” nunquam omnimodo nosci posse, longae traditioni philosophicae adhaerebat.⁵

⁵ Plato rem existentem, cum nihil haberet definitum quocum mens copularet, dejecit “in non-finitum” (εἰς τὸ ἀπειρον). Quaestio individualitatis considerabatur in disceptatione “universalium” ex Medio Aevo usque ad nostrum tempus agitata. Thomas Aquinas censuit individuum non cognosci nisi “indirecte”, Scotus autem “haecceitatem” individui vere capi, quin tamen significet nisi “esse-hoc”. Juxta Humium characteres individui noscuntur, haud autem ejus substantia, quae autem, secundum Kantium, in conscientia inhaeret. Kierkegaard individuum voluit servare ex Hegeliano generalitatum fluxu, sicuti Sartre fecit individuum eminere ex Marxistis historiae mechanematibus. C. S.

III. 2. Theologia comperta

Levinas aductus est ad suam theologiam “Alterius” partim a pastore Helvetico C. Barth qui in sua “theologia dialectica” Deum ut “omnino alterum” descripsit. Levinas quidem Scripturas Hebraicas “philosophizavit” (doctrina “auditionis” ex illo provenit: אָדָמָה אֶת־הַקּוֹלִים⁶, non aliter ac Marxista Germanicus Ernestus Bloch, “Papa Ruber” vocatus, cum notiones ex Biblia depromperet in operibus velut “Principium spei” 1938-1947 edito (*Das Prinzip Hoffnung*), quae apud theologos sociales quoque multum pollebant. Elementa eschatologica, immo messianica, quae in socio-historica Marxii philosophia latebant, clarissima patefiebant apud Levinam.⁷

Nemo est qui cardinem theologicum a Levina, Marione aliisque phaenomenologis inductum non magni aestimet. Ex altera autem parte, non defuerunt philosophi qui Levinam increpaverint propter “solipsismum theologicum”, immo “crypto-theologiam”. Levinas enim videtur sibi vindicare quendam aditum privum et peculiarem ad suum Alterum; ipse quidem “aristocratismum verae cognitionis” praedicabat et “necessitatem cognitionis absconditae”. Attamen talis cogitatio personalis adversatur communicationi “democraticae” quae indicia omnibus aperta postulat.

Rogatum est igitur num Levinas aditu fruatur privilegiato ad ultimas veritates entis et essendi —non solum ille ad suum “Alterum” (licet quaerere), sed etiam Heidegger ad suum “esse” vel Bonhoeffer ad suum Deum-sine-virgulis vel Marion ad suum Deum-sine-esse. Marion quidem idcirco

Peirce voce Scotica “haecceitas” utebatur ad individuum denotandum absque descriptione, et juxta Editham Stein “haecceitas” quandam indolem positivam possidet quae tamen characteribus generalibus subsumi nequit. Liquet quaestionem etiamnunc disputandam esse.

⁶ “Et clamorem eorum audivi”, Ex. 3:7. Levinas, Russus Judaeus, multa de rebus Judaicis quoque conscripsit. Judaei Europaei sat assimilati culturae circumjectae fuerant, et nonnulli ad politicas sinistrae causas se dedebant. Postea autem, multi, memores Holocausti, “a Mao ad Moysen se converterunt”; vide R. WOLIN (2006). Heidegger Made Kosher. *The Nation*, 20 Februarii, cui adjutorium acceptum pro commentario refero.

⁷ Theologia quidem non longe afuerat a philosophia Continentali. Idealistae Germanici Fichte, Schelling, Hegel studia universitaria initiaverunt in theologia, quos quidem Nietzsche appellavit “theologos veste mutata” (is quoque curriculum coepit theologiae incumbens). Annis vicesimis saeculi XX, propter desperationem culturalem post Primum Bellum Mundanum ortam, cura theologiae denuo surrexit. REDMOND (2009). El cristianismo y la guerra de los humanismos en los Estados Unidos. *Actas III Coloquio Internacional Humanismo en la Universidad Pública*, 26-30 Octobris.

reprehensus est quod tria genera Dei cognitionis permiscuit, nempe: cognitionem naturalem (cum crederet philosophicum Dei nomen esse “Causam-sui”), fidem (Deum enim vocavit “amorem”), experientiam mysticam (dum in suo “cogitare Deum” contemplationem sibi arrogat).⁸

Hujusmodi quaestiones de cognitione Numinis ad theologiam negativam seu apophaticam pertinuerunt, quae quidem plus est quam pius agnosticismus. Cognitionis enim Dei, quamvis “praediscursive” nobis intimitur, rationaliter et “democratice” quoque, et merito, elaborata est, etiam, per duo millenia, a cogitantibus praemodernis. Quaestio tandem decretoria est: quis jus habet Dei loquendi- vel tacendi?⁹

III. 3. Sublationismus

Ante saeculum XIX responsio ad interrogatum “quomodo propositio scitur esse vera?” erat sat facilis; scilicet: *recte ratiocinando*. Omnes quidem eversiones et cardines in historia philosophiae in se theses habent quae iudicandae sunt *perinde ac quaecumque propositiones philosophicae*, scilicet: secundum sanitatem argumentorum quae afferuntur ad eas fulciendas; quinimmo, minime est cur ipsa eversio non sit funditus falsa.

Ex tempore autem Hegelii certa historiae cogitationis interpretatio, “sublatio” vel “historicismus” nuncupata, quae notionem *temporis* veritati inserit, etiamnunc nonnullos cogitantes medullitus afficit, inducens ad relativismum et scepticismum. Sublationista veritates commiscet cum earum *historia*. Sententia *in praesenti tempore* asserta accipitur ut *rata*, doctrinae tamen *praeteriti temporis* aestimantur quasi “*sublatae*” seu “*superatae*”. Thesis recentissimi moris priores theses “tollit” cum ea conexas, et quidem hoc sensu: nova opinatio praevias tum *cancelat* tum, complectendo, in seipsam *elevat*.¹⁰

Processus sublationis vocatus est “*dialecticus*”. Vox vero “*dialectica*” non solum de “*motu*” notionum dicta fuit (fuerat enim synonyma “*logicae*”),

⁸ Antonio CALCAGNO: “God and the Caducity of Being: Jean-Luc Marion and Edith Stein on Thinking God”, 4-5.

⁹ REDMOND (2009). *Lógica y mística/ Progreso espiritual y progreso filosófico. Diánoia*, 44, 62, 73-90.

¹⁰ “Sublatio” (*Aufhebung*) et “sublatus” (*aufgehoben*) sumuntur de verbo “tollo tollere sustuli sublatus” (et “*aufheben*”): auferre + abolere + elevare (non tamen certum est utrum ipse Hegelius fuerit “sublationista”).

sed etiam de profectu eventuum historicorum (ex tempore Marxii), de evolutione rerum naturae (maxime post librum *De origine specierum* a Darwin anno 1858 editum), immo de progressionem totius rerum universitatis (apud Hegelium). *Meliorismus* namque ex more sublationismum comitatur: res scilicet non tantum in locum aliarum rerum succedunt per tempus, sed et *meliores* fierent. Processus igitur dialecticus etiam esset *progressus*. Ex tempore quidem Francisci Baconis assidue crevit fides in progressionem scientiarum, in “nova logica” (vel “organo”) —et in doctrinis philosophicis semper “verioribus”.

Adde quod hodie non desunt philosophi, velut asseclae scholae hermeneuticae, qui praedicent conceptiones praeteriti temporis non tantum falsas esse sed *incomprehensibiles*. Quando cogitamus —ajunt isti— manemus oclusi intra horizontes, ultra quos videre nequimus. Propter nostros proprios finientes, “textus” scriptorum praeteritorum necessario interpretamur admixtis praepudiciis. Ex quo fit ut philosophia antea non tantum evadat sublata et obsoleta sed et quadamtenus incognoscibilis.

Ipsa theoria sublationistica quomodo demum aestimanda est? Aliqua aperte objiciuntur: Quod inter paucos cogitatur (sese “nos hodie” vocantes) haud est philosophia simpliciter. Complures enim exstant hodie praecipuae philosophandi modi, nec ipsa phenomenologia aequiparat “philosophiam hodiernam”. A sublationistico mentis habitu plures philosophi longe absunt. Item, patet sublationismum nocive denotare seipsum, siquidem quod nunc ut verum cogitatur postremo tolletur. Propositio tamen vera, etsi spernatur a cunctis sapientibus, haud eo ipso fit falsa.

Difficultas autem radicalis haec est: cogitator sublationismo laborans, dum doctrinas judicat, privilegium dat categoriis *vigens* (doctrina quae hodie viget) et *sublata* (doctrina ante accepta nunc tamen neglecta). Adjectiva “vigens” et “sublatum” sunt praedicata *historica*. Categoriae autem in philosophia fundamentales sunt *verum* et *falsum*. Porro, propositio ut vera aut falsa judicatur ob ejus perspicuitatem vel ob rectitudinem argumentorum quibus nititur.

Ecquid tandem de scepticismo Post-Moderno? Tenores in historia philosophiae lucescunt ac vesperascunt, eorumque doctrinae —*propositiones tum verae tum falsae*— vigescunt tollunturque. Spiritus interea motus philosophici de spe nonnunquam immutatur ad scepticismum, de affirmatione ad negationem. Initio nova edicuntur ardore juvenili, de quibus extremo dubitatur lassitudine.

Spiritus Post-Modernus ob diffidentiam similior videtur *finibus* aevorum quam principiis. Primi philosophi alicujus paradigmatis vela haud dederunt omnia referentes in deterius. Post-Modernismus quidem, paresque motus, videntur ad terminum pervenisse certorum conatuum Modernorum (conjectari licet: ipsius idealismi) qui jam exhausti sunt. Praestat igitur istos appellare “Seræ Modernitatis” quam “post” quicquid.

Videtur autem jam apparuisse cardo qui penitius attingat, eversio multo amplior: cardo, inquam, erga *praeterita*. Nam flectus nuper proclamati, rationibus eorum accurate vestigatis, potius quaestiones solent enuntiare antea tractatas —et sollerter—, quam mortes. Talis regressio ad traditiones, praesertim *praemodernas*, nusquam lucidior apparet quam in cardine theologico, qui phaenomenologos jam reduxerunt ad graves disceptationes jam per duo millenia a cogitantibus religiosis agitatas. Eversiones igitur *praeteritum* ostendunt —denuo apertum ad duplicem transcendentiam ab Editha Stein defensam: ad res scilicet atque ad Deum.¹¹

Assertio denique a Platone olim dicta prudens videtur: veritas quodammodo intemporalis est atque illocalis; itaque etsi *alibi aliasque* perspecta, *hic et nunc* tamen nobis manet pervia.

Walter Redmond
Huston-Tillotson College, Austin -Texas
wredmond@texas.net

¹¹ (1998). “Excursus über den tranzendentalen Idealismus”, *Potenz und Akt/ Studien zu einer Philosophie des Seins*, curante H. R. SEPP (Friburgo Brisgoviae alibi: Herder), 246-258; Vide (2003). “Edith Stein, santa Teresa Benedicta de la Cruz/ Una defensa del realismo”, *Acta fenomenológica latinoamericana* (CLAFEN), vol. 1.